





1715, 23. 39

DISSERTATIO
DE
PARTIBUS
CORPORIS HUMANI
EXTERNIS,

QUAM
GRATIOSISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ
CONSENSU

SUB PRÆSIDIO
DOMINI

D. POLYCARPI GOTTLIEB
SCHACHERI, P.P.

PHILIATRORUM EXAMINI SUBJICIET
JO. GODOFREDUS HAHN,
SVIDNIC. SILES.

D. I. NOVEMBR. A. MDCCXV.
IN AUDITORIO MEDICO
HORIS CONSVETIS.

L I P S I Æ,
LITERIS VIDUÆ CHRISTOPH. FLEISCHERII.



DISESSERTATIO
DE
PARTIBUS
CORPORIS HUMANI
EXTERNIS
QUAM
GRATIOSISSIME FACULTAS MEDICAE
CONSENSIT
SUE PRÆSIDIO
DOMINI
D. JOHANNIS CAROLI GÖTTLIEB
SCHACHNERI, P. P.
INSTITUTORUM EXAMINI SUBJICIT
D. GODOFRIDUS HAHN,
SALVNICI SILES.
D. A. NOVENBER. & MUCCH.
IN AUDITORIO MEDICO
HORIS CONSVETIS
MDCCLXXIII.
LITIS VBIUS CHRISTOPH. HEISCHERII.

scrip
mun
crass
num
num
fefe
facil
lem
prox
qua
mur
den
guas
ope
spic

rum
dip
qua
tres
feri
bra
reb





§. I.]

Premissa in antecedenti Dissertatione generali Anatomiae & Physiologiae tractatione, in praesenti de partibus corporis humani externis strictim agere animus fert. Quemadmodum enim, qui universam orbis terrarum descriptionem tradere in animo habent, non male rudia primum lineamenta ducunt, quibus vastum quempiam situm crassiore minerva repraesentant, ut immensam postea regionum urbiumque ac fluminum multitudinem tradituri, quo sese referant, non difficulter invenient; ita vitio nobis haud facile quispiam vertet, si ad Geographorum morem generalem corporis humani ideam descripturi partes externas & proxime internas ante rudiori paulo examini subjiciamus, quam ad specialiores earundem tractationem progrediamur. Supervacaneum vero duco, in quarumlibet partium denominationum ortum justo scrupulosius inquirere, ambiguaeque earundem acceptiones prolixè enodare, potius eo operam navabo, ut proprium cujuslibet partis nomen & perspicua ejus descriptio concisè tradatur.

§. II. Universum itaque corpus humanum ad Veterum ductum non incongrue in ventres & artus, seu extrema dispescitur. Venter namque amplam denotat cavitatem, quae unum alterumque viscus complectitur. Atque eorum tres occurrunt, quorum superior Caput, medius Thorax, & inferior Abdomen audit. Siquidem caput, prima colli vertebra nitens & amplam cavitatem efformans, cerebrum ac cerebellum, thorax, a claviculis, sterno, costis harumque mu-

sculis ac vertebra dorsi constructus & mediante diaphragmate ab imo ventre discretus, pulmonem & cor, tandemque abdomen, inferioribus costis, septo transverso, vertebrae lumborum, osse sacro, coccygis & innominatis, nec non musculis abdominis circumscriptum, ventriculum, hepar, lienem, intestina &c. comprehendit. Artus autem sunt partes extremae, quae ramorum instar trunco adnatae manuum pedumque titulo insiguntur.

§. III. Ad ductum hujus divisionis partes externas tradituri non immerito a capite tractationis initium facimus. Hoc ipsum latiori sensu sumtum, & ambitu suo omnem id, quod prima colli vertebra nititur, comprehendens, melioris doctrinae ergo in partem capillatam & glabram dispartitur. Illa denuo in quatuor dirimitur partes, quarum prima vertex, altera synciput, tertia occiput, & postrema tempora appellatur. Namque media ac summa synciput inter & occiput pars vertex dicitur, pars autem, quae a vertice ad anteriora & frontem exporrigitur, synciput, quae ab eodem vertice ad posteriora & cervicem tendit, occiput, partesque tandem utrimque ad latera syncipitis inter oculos & aures sitae tempora nuncupantur. Praememoratae partes sunt non modo crinibus ornatae, qui illic loci speciali capillorum nomine insiguntur, & plerumque linea a vertice ad frontem excurrente, nomineque discriminis veniente, in partem dextram sinistramque dividuntur, sed & pro varia ossium conformatione capillatam capitis partem magnitudinis & figurae variam efficiunt. Quapropter abscondita mentis sensa ab externa corporis dispositione qui depromunt, capillatae capitis partis rationem simul habent: existimantes, caput magnitudinem cum reliquo corpore proportionatam obtinens bonam mentis humorumque indolem, praegrande ceterorumque membrorum magnitudinem excedens pigritiam ac stupiditatem, nimis exiguum & gracile fatuitatem



& stultitiam, in superficie sua planum & adæquatam omnem
 morum pravitatem, concavum in anteriore parte dolum,
 fraudulentiam & excandescitiam, in longum autem non
 nihil protensum maturitatem & prudentiam indicare. Ut
 nihil jam dicam de capillorum raritate ac densitate, de cri-
 spatura eorundem ac rectitudine, deque vario, quem de se
 fundunt, colore, ubi semper aliquid monendum habent Phy-
 siognomi, nescio quos ridiculos sæpe animi corporisque affe-
 ctus ex iis colligentes. At enim vero quam parum fidei signa
 ejusmodi mereantur, experientia locuples est testis, cum
 certe regulæ supra data innumeras propemodum exceptio-
 nes patiantur. Proinde cum sub cœlesti corporis forma
 subinde infernale vitiorum monstrum lateat, non tuto a va-
 ria capitis dispositione ad mentis humorumque naturam
 argumentamur, modo idem non plane a statu naturali
 desiectens cerebro vim inferat, & sic demum mentis actio-
 nes & spirituum secretionem eorundemque distributionem
 lædat.

§. IV. Ad glabram capitis partem quod attinet, hæc
 non incongrue in faciem & aures dirimitur. Illa a ca-
 pillorum confiniis in syncipite exordians & ad mentum
 usque excurrens non immerito speculum animi, mentis
 fedes ac index morum, atque adeo per bene vultus dici-
 tur, quod voluntatis signa haud obscura præbeat. Id
 quod pictoribus ignotum non est, quippe qui in certis
 imaginibus conficiendis eo omnes ingenii nervos dirigunt,
 ut dispositionem, situm & colorem partium faciei exactis-
 sime observent, quæ modo ad lætitiæ, modo ad tristiti-
 am, nunc ad iracundiam, nunc ad mansuetudinem aliaque
 significanda animi pathemata requiruntur. Atque hæc
 quoque est ratio, cur ex faciei cujusdam dispositione subin-
 de judicemus, eum nunc ad iram, nunc ad hilaritatem &c.
 admodum esse proclivem. Cum enim pro varia animi pa-

thematum indole diversimode faciem distorqueamus varie-
que moveamus, non adeo mirum, si irā v. g. frequentius
iusto indulgens paulatim tractuque temporis specialissimum
partium faciei situm constanter pene conservet, vel levissi-
ma data causa eundem recuperet, qui alias iram latentem
prodere solet, tametsi, ut ingenue fatear, non semper tuta
hæc sint signa, cum dissimulationis studiosi mansveto vultu
iram absconditam per bene celare norint, nec facile animi
sui meditantia ut quis ex vultu hariolari queat, induci se
patiantur. Sic pariter Medici ex vario faciei habitu prosperam
æque ac adversam valetudinem nec non melancholiam
aliosque latentes affectus vel invitis etiam ægris non inani
conjectura colligunt, avtopsia id ubertim confirmante.

§. V. Sed nostra imprimis interesse videtur, faciei
partes concise pervestigare. Ad eas pertinet primo frons.
Hæc supra oculos & nasi radicem sita & ad tempora usque ad
capillos protensa lineas secundum longitudinem æque ac
latitudinem exporrectas spectandas exhibet, quæ contracta
cutē in rugas complicantur, præterea binæ inferiores frontis
& ab oculis variis quisquiliis depellentia, nuncupantur, quo-
rum pars ad nasum respiciens caput, ad tempora spectans
cauda dicitur. Et licet ordinarie supra nasi dorsum pars cri-
nium expers, ac glabella nomine insignita, superciliis sit in-
terposita, interdum tamen accidit, ut supercilia & illic loci
coeuntia partem illam efficiant hirsutam. Dicit profecto
nequit, quam attente & scrupulose vel minutissimas frontis
partes Metoposcopi considerent. Jam enim nihil dicam de
frontis latitudine, inæqualitate, angustia, figura quadrata,
acuminata, neque colliculos, fossulas, navos, maculas &
hujusmodi alia commemorabo, e quibus id hominum genus
ignorantiam, indocilitatem, prudentiam, audaciam similia-
que colligit, sed saltem linearum frontis rationem habebo.

Cum

Cum enim plerumque frons septem lineas seu rugas obtineat, has quoque septem planetis Metoposcopi attribuunt, atque hinc earum ductum, figuram, longitudinem, situm, colorem, unionem, intersectionem non modo rigidiori examini subijciunt, sed & hisce probe consideratis eo operam navant, ut presentia perspicue declarent, futura bona malaque ingeniose predicant, & praeterita ipsos latentia ex speciali linearum dispositione detegant referantque. Sed enim vero uti saepe in fronte una alteraque linea plane deficit, atque intellectu comprehendi nequit, quomodo linea in fronte exporrecta specialissimum syderis cujusdam influxum post se trahere, quomodo influxus syderis specialis mentem adficere itaque flectere possit, ut ad hanc, vel illam virtutem, vel vitium quodpiam inclinet, quomodo denique linea in fronte certi quid de praeterito vel futuro statu indicare queat, profecto tota illa ars non magni aestimanda est, & perbene quondam *Isocrates* dixit: *Futuros eventus predicere nostra non est natura*, neque male *Diogenes* audiendo quempiam de astrorum influxu garrientem interrogavit: *Quam nuper e caelo venisti?* Hinc etiam relationes ejuscemodi prognosticae vel plane non eventui respondent, vel si quid veri inter multa mendacia contineant, casui fortuito potius, quam certae frontis constellationi deberi, ingenuus quivis facile mecum fatebitur.

§. VI. Nasus sub glabella e parte faciei media protuberans ac odoratui dicatus in partem superiorem & inferiorem dividitur: illa immobilis est atque dorsum appellatur, haec cartilaginea textura mobilitate gaudet, cujus mobiles partes laterales pinnae seu alae, foramina bina inferius patentia nares, paries cartilagineo-osseus, cum in duas distinctas cavitates dividens, columna, septum, vel diaphragma, pili, quibus interiora sunt ornata, vibrissi, extrema rotunditas pinnae inter protuberans orbiculus seu globulus, & tan-

dem linea ab hujus media parte ad dorsi finem excurrens & nasum in duobus latera disspescens spina nuncupantur. Quemadmodum vero nasus iustam conformationem & magnitudinem indeptus haud parum gratiae vel universae faciei conciliat, ita iusto gracilior vel major aliquid splendoris non modo eidem detrahere videtur, sed & haud paucis occasiōnem suppeditat dijudicandi, nasum magnitudine insignem stupidum ingenium ac penem magnum, parvum vero ingenium acutum & membrum exile, ac tandem mediocrem modestos animi mores, docilitatem & diligentiam nec non mediocrem hactenac magnitudinem indicare. Verum enim vero quam inanes sint ac fallaciarum plenae hujus fursuris conjecturae, usus pene quotidianus affatim luculenterque docet. Quid enim quae cognationis habet mens cum naso; Anne vis ejus intelligendi dijudicandique in naribus viget, aut casu, vel consilio iisdem ablatis actiones mentis mutantur? minime gentium. Modo cerebrum rite constitutum & mens bonis moribus & disciplinis fuerit imbuta, profecto nasus cujuscunque figurae & magnitudinis ipsi in actionibus peragendis nil quicquam officiet, vel conducet.

§. VII. Oculi non procul a nasi lateribus in clariore faciei parte utrimque siti, & in ossae orbita absconditi, visuique a providentissima natura dicati, palpebris anterieus cinguntur, quae ceu naturalia opercula eos non modo a noxiae externis immines praestant, verum lucis etiam irruptioni attemperandae ac praepediendae somni imprimis temporis inserviunt. Earum una quae lata magis est atque mobilis superior, altera minus mobilis inferior appellatur. Ultraeque vero extremitates sunt & cartilaginibus, quas crepidines vocant, & pilis, ciliorum nomine venientibus, ornatae. Praeterea ubi eadem utrimque coeunt, angulos seu canthos efformant, quorum unus, qui ad nasum respicit, intermus seu major, caruncula quapiam donatus, alter ad tempora

spectans minor seu externus appellatur. Diductis palpebris illico globosa oculi pars anterior in sensus incidit, cujus portio media cornu politi ad instar pellucida cornea quoque audit, a cujus peripheria prodiens membrana ac ad palpebras protensa propter niveum, quem de se fundit colorem, album oculi nuncupatur. Atque oculum attentius paulo si contueamur, pupillam quoque ac iridem eodem tempore visu percipimus. Illa enim est nonnisi foramen rotundum, luci irruenti ingressum ad interiora parans, quo est anterior iridis pars pertusa, membrana vero perforata humori aqueo innatans & variis admodum coloribus imbuta ob similitudinem, quæ ipsi cum iride intercedit, iridis quoque titulo insignitur. Sed non est, quod in præsentis quasvis oculi partes peruestigemus, de iis alia fortasse occasione accuratius acturi, sufficiat, partes saltem indigitalasse, quæ citra dissectionem cujusvis conspectui sunt expositæ. Quemadmodum vero oculi bene constituti ineffabilem toti homini pariunt usum; ita iram, mœstitiam, gaudium, aliosve animi affectus, & a naturali gratia discedentes morbosam corporis constitutionem non obscuris indicibus produunt. An autem ad Physiognomorum mentem oculi concavi hominem maleficum & invidiosum, modice subsidentes animum herilem & magnanimum, in longum distensi impostorem fucatum, ad nares solito constantius conversi hominem omni fordæ & vitiorum turpitudine contaminatum, nigri timiditatem, fulvi magnanimitatem, lucidi ac splendentes mollitiem certo significent, non citra rationem anceps hæreo, quod vanæ ejusmodi regulæ innumeras patiantur exceptiones.

§. VIII. Equidem genæ interdum utramque maxillarum denotant, atque adeo ambitu suo plures complectuntur partes, impræsentiarum tamen iisdem illa faci

faciei pars saltem indigitatur, quæ est a nasi, palpebræ inferioris ac aurium confiniis ad mentum usque utrinque protensa. Atque portio earundem superior sub oculis & non procul ab auribus sita, ac non nihil protuberans, malum seu pomum appellatur. Uti namque malum & rotunditate & rubedine delectat mortales, ita in formosis imprimis hæc faciei pars globositate æque ac rubedine formositatis amatores tenere solet, & quoniam pudore adfectis ea potissimum rubore intensiori perfunditur, multi eidem pudoris sedem attribuere non dubitant. Inferior laxiorque pars, quæ inflari a spiritu reterto se patitur, bucca audit, in hac risus imprimis tempore rima, vel ruga, aut etiam fovea, quam nonnulli gelasinum appellant, comparet.

§. IX. Labia in inferiore & antica faciei parte buccas inter collocata in superius & inferius dispecuntur. In superioris parte media cavitas, a septo nasi directe descendens & labrum veluti in duo distingvens, conspicitur, quæ alias philtrum, vel lacuna dicitur. Summæ utriusque labii extremitates rubicundo colore tinctæ, prolabia, & ubi ambo labia utrimque coeunt, anguli audiunt, foramen autem amplum, labia distracta, quod efformant, os cognominatur. Præterea sub labio inferiori & faciei parte infima orbicularis, portio prominens mentum, ac huic subjecta pars carnosâ protuberans bucculâ appellatur. Licet vero genæ cum sexu descriptis partibus in sexu sequiori sint depiles, cum sexu tamen potiori res aliter comparata est, cum circa pubertatis tempora ex iis paulatim molliores pili, lanuginis nomine insigniti, efflorescant, pederentim rigidioribus largo proventu succrescentibus, quos barbam appellant. Labia itaque bene conformata non modo faciei pulcherrimam conciliant formositatem, ac suctioni, alimen-

alimentorum assumptioni, nec non loquelæ eximie conducunt, sed & vario motu situque ac colore præfentes animi æque ac corporis affectus patefaciunt; ubi tamen Physiognomorum sententiæ omnimodo multis de causis subscribere nequeo, autumantium, labra tenuia magnanimum, crassa insipientem, exilia timidum, superiora versus prominentia injuriosum & mendacem, inferiora versus pendencia inertem indicare, cum certe hujus farinæ conjecturæ lubrico admodum ac fallaci fundamento nitantur, uti occasione narium paulo curatius declaratum fuit.

§. X. Ore aperto variæ partes conspectui sistuntur, & quidem primo duæ maxillæ, quarum superior ex variis ossibus constructa immobilis est, inferior autem processui jugali ossis temporum laxè inarticulata mobilitate sua insignem & masticationi & aliis functionibus usum præstat. Ambæ dentibus alveolis comprehensæ sunt exornatæ, ita quidem, ut quælibet in provecioris ætatis hominibus sedecim obtineat, quorum quatuor anteriores & medii incisores, duo his proxime utrimque adstantes canini, ceteri molares, & horum postremi dentes sapientiæ appellantur. Postea caro fungosa partem dentium investiens & firmans occurrit, quæ gingivarum nomine venit. Tum lingua sensus ferit, quæ ex musculosa substantia contexta, variisque membranis obducta, & papillis nerveis donata, ac princeps loquelæ, gustus ac deglutitionis organon constituens, in partem posterioriorem & anteriorem dirimitur, quarum illa crassatis lataque ossi hyoideo & vicinis partibus adnata basis, hæc vero libere in ore hærens & magis acuminata cuspis audit, qua nonnihil elevata membrana lata, partem lingvæ mediam substratis partibus adnectens, conspicitur, quæ non male frenulum dicitur. Insuper pars

oris superior, huic & naribus interjecta, palatum audit. Tandem in fine lingvæ cavitas ampla ad oesophagum usque protensa in oculos incurrit, quam pharyngem, seu fauces nuncupant Anatomici. In hujus partem anteriorem & superiorem postica nasi foramina aperiuntur, quibus larynx seu caput asperæ arteriæ, inferiorem & anteriorem faucium partem occupans, e regione est substratum. Præterea glandula oblonga, a postica & media palati parte pendens, nec non binæ mole satis insignes utrumque faucium latus occupantes conspiciuntur, quarum illa uvula, hæ tonfillæ seu amygdalæ appellantur. Quemadmodum vero præmemorata glandulæ serosum plorant humorem, ita longe major ejus quantitas ex aliis fonticulis promanans in os confluit, quem salivam nuncupare solemus. Sane hic ipse humor non tantum varias oris partes, quo muniis suis rite perfungi queant, madore imbuit, verum gustui etiam & chylicationi egregie conducit. Non opus autem fore arbitror, in præfenti morborum signa, quæ Medici a depravata oris ejusdemque partium constitutione desumunt, commemorare, cum tractatio hæc ad Semioticam potius, quam Physiologiam spectare videatur.

§. XI. Faciem excipiunt aures, auditui dicatæ, quarum partem externam aliquantum contemplabimur. Hæc ipsa vanni instar expansa temporibusque affixa auricula dicitur, atque in partem superiorem & inferiorem dividitur, quarum illa cartilaginea texturæ ala seu pinna, hæc vero cartilaginis expers lobus seu fibra audit. Præterea Anatomici in concava auriculæ parte quasvis cavitates æque ac eminentias justo fortassis scrupulosius considerant, & haud parum sunt solliciti, si pars quedam nondum peculiarem acceperit denominationem. Imprimis vero protuberantiarum exterior, ambitum quæ constituit

stuit, ratione tortuositatis helix, altera ei opposita anthelix, quæ vero tempora respicit, & crinibus plerumque est ornata tragus, eique opposita antitragus, cavitatum autem interior, vestibulum meatus auditorii constituens, ob sordes flavas, quas cerumen dicunt, in ea collectas alvearium, & exterior major a tortuositate concha appellatur. Licet itaque auricula sonum excipiendo & ad interiora propagando auditui apprime conducant, tamen an ad nonnullorum mentem magnæ magnam stoliditatem, imprudentiam, garrulitatem, bonam memoriam, vitam longævam, parvæ libidinem, malos mores, breves ac sicut in canibus protensæ stultitiam, longæ & angustæ invidiam, rotundæ minusque exsculptæ indocilitatem, exsculptæ docilitatem, arrectæ & mediocris magnitudinis, nec non quadrangulares aut semicirculares hominem civilem, bonum, & sensibus eximiis ornatum certo indicent, ego non facile dixerim, cum ejuscemodi speculationes ficulneo fundamento innixæ parum fidei mereri videantur.

§. XII. A capite non immerito ad collum progredimur. Hoc ipsum cylindraceam figuram indeptum, & ad humeros ac thoracem descendens in partem anteriorem & posteriorem dividitur, quarum hæc speciali cervicis nomine venit, in cujus media parte fovea, ab occipite directe descendens, eamque in duo latera distingvens, occurrit, quæ propria appellatione caret. In anteriore & superiore colli parte laryngis portio protuberans pomum Adami, seu nodus gutturis, atque cavitas infimæ ejus parti non procul a sterno insculpta jugulum appellatur. Equidem a dispari colli crassitie & robore ad varium ceterarum corporis partium vigorem & constitutionem non sine ratione argumentari licet, iis tamen, qui collum collo cervino simile timiditatem, breve ad colli

lupini figuram accedens dolum & vafritiem indicare arbitrantur, quo minus assentiamur, experientia hifce speculationibus minus favens vetat omnino.

§. XIII. Quod ad medium ventrem, seu thoracem attinet, is tribus partibus, anteriore, lateralibus & posteriore constat. Tota pars antica pectus, & media ejus portio jugulo subjecta & in mucronatam cartilaginem desinens sternum dicitur, cui utrimque costæ annectuntur. Præterea utrumque pectoris latus rotundis corporibus est ornatum, quæ in sexu potiori propter exilitatem mammillæ, in sexu vero sequiori ob insigniorem, quam paulatim acquirunt, magnitudinem mammae appellantur. Ex harum media parte apex protuberans papilla, & circuitus obfusci vel rubri coloris, prædictam papillam ambiens, areola audit. Postica thoracis pars, a cervice ad costarum finem & principium lumborum porrecta, dorsum, seu tergum nuncupatur, hujus elatiori parti utrimque ossa, nonnihil cum superincumbentibus partibus protuberantia, sunt instrata, quæ scapulas efformant, acuta autem protuberantia, per mediam ejus partem excurrentes, dorsumque in duo latera dispescens, spina dicitur. Neque vero humerus silentio prætereundus est, quo quidem nomine in præsentia non partem brachii primam, aut os ejus intellectum volo, sed potius partem illam, quæ a summo humeri articulo ad collum, scapulam & alam vergit. Tandem partes laterales ab ala, quæ locum sub humero concavum, glandulis & in adultis pilis donatum, designat, directe ad inferiores costas excurrentes latera simpliciter vocantur, & cum costis intertexti sint musculi, spatia illa intermedia intercostalia nuncupantur. Sancta indicia, quæ a thoracis humerorumque conformatione desumuntur, parvi facienda non sunt. Quando enim thorax

thorax justam amplitudinem, & humeri decentem latitudinem sunt indepti, pulmo non modo spiritum liberrimè ducit, verum etiam hac humerorum pectorisque conformatione haud parum roboris toti corpori conciliatur, cum e contrario thorax solito depressior & angustior, vel gibbositate deformatus respirationi vim inferat, & humeri exiliores debilitatem corporis non obscure prodant. Qui autem a pilis, qui interdum virorum pectora tergaque occupant, ad animum heroicum, ab eorundem defectu ad mentem effœminatam, ab humeris elevatis ad animum insidiosum, ab iisdem apertis ad ingenii acumen, a mammis mulierum majoribus ad lactis feracitatem & libidinem, ab iis minoribus ad lactis & libidinis defectum argumentantur, multoties se deceptos invenient, modo attentius paulo experientiam contrarium docentem ponderent. Perplacent, quæ suorummet humerorum intuitu testatur *Scarlatinus*: Homin. Figuræ & Symbolic. p. 178. *Sed cum fortuna*, inquit, *& natura exiguos mihi humeros elargita sint: nolim ex præfatis physiognomiæ prognosticis mihi vel vafritiem vel dolum assingas, cum videas, me tibi candidissimo pectore ministrare.*

§. XIV. Ad inum ventrem nunc progredimur, partem ejus anticam & posticam nonnihil contemplaturi. Quod ad illam attinet, hæc non inepte in regionem superiorem, mediam & inferiorem dispescitur. Prior superne diaphragmate, lateraliter cartilaginibus costarum inferiorum, inferne regione umbilicali hujusque partibus lateralibus circumscripta serobiculum cordis, epigastrion & hypochondria complectitur. Serobiculus cordis est fovea, quæ infima sterni parti immediate est subjecta, atque alias anticordium, sive præcordium audit, cum perperam quondam existimaretur, dolores, quos

ægrî interdum illic loci sentiunt, & plerumque cardial-
giæ nomine veniunt, a corde gigni, cum tamen idem ali-
um longelocum occupans neutiquam scrobiculo sit sub-
stratum. Epigastrium mediam hujus regionis partem
efformat, cui utrimque hypochondria, in dextrum & si-
nistrum divisa, ceu partes laterales accumbunt. Media
regio superiori & inferiori interjecta, non male in re-
gionem umbilicalem & epicolicas dirimitur, illa circum-
ferentiam designat, quæ tres vel quatuor pollices trans-
versos ab umbilico distat, ut adeo umbilicus centrum
hujus regionis constituat, cujus cutem in rugas compli-
catam nonnulli vetulam nuncupant. Partes hujus re-
gionis laterales, initio latiores paulatim lumbos versus
excurrentes magis attenuatæ, epicolicæ appellantur, de-
nominatione ab intestino coli, cujus partem utrimque
complectuntur, desumpta. Equidem tantum non omnes
eamque partibus lateralibus privant, verum cum neque
epigastrium ad hypogastrium, neque hypochondria ad
ilia protendantur, atque adeo superior regio cum infe-
riore haud coeat, siquidem neque illa infra costas no-
thas descendit, neque hæc supra ilii spinam ascendit,
consultius esse videtur, cum *Ghiffonio* partes laterales
regioni umbilicali attribueret. Inferior tandem regio
ostibus ilii, pubis nec non media regione circumscripta
hypogastrium & ilia comprehendit, quibus proxime
pubes & inguina accumbunt. Hypogastrium medi-
am, ilia autem laterales hujus regionis componunt par-
tes, atque quæ hypogastrii fini immediate subjacet, &
crinibus in adultis est prædita, pubes, quæque ad femo-
ris flexuram utrimque excurrit, regio inguinalis au-
dit. Quod ad partem abdominis posticam attinet, in-
ca imprimis regio lumbaris attentionem meretur. Hæc
ab

ab inferioribus costis ad vertebrarum lumborum latera utrimque ad nates descendit. Nates vero, seu clunes ingentem illam carneam massam, dorso ossium illi instratam, designantes, & alta fissura a se invicem separata, in media circiter parte exhibent, foramen, fecum excretioni dicatum, quod anus dicitur. Ceterum abdomen uti justam amplitudinem & ceteris corporis partibus proportionem respondentem obtinere debet; ita nimium protuberans non modo obesitas molestiam haud mediocrem parit, sed & eos plerumque, justo torpidiores reddit. Ac licet varii ejusdem tumores nunc graviditatem, nunc alios affectus præternaturales non obscuris indiciis prodant, tamen qui ex ventre parvo sapientiæ decorem, ex depresso & cavo invidiam & sorditiam, ex rotundo sobrietatem, ex longo segnitiam, exque umbilico multum protuberante salacitatem conjiciunt, egregie errare mihi videntur. Quamvis enim negari nequeat, chylum in abdomine elaborari, atque pro hujus varia dispositione sanguinem, spiritus & per consequens animi propensionem variari, tamen chylicationis ratio non tam ab abdominis rotunditate, longitudine ac parvitate, sed potius a ventriculi, mesenterii, intestinorumque, nec non menstrui qualitate est petenda, sique hæc rite sint constituta, jam indignitate abdominis figuræ nil quicquam ad chylicationem facient, nullamque hinc occasionem sapientiæ, invidiæ, similive animi affectioni suppeditabunt. Neque ratio patet, quomodo umbilicus protuberans salacitatem generare queat. An enim stimuli venerei in umbilico resident, aut umbilico specialis conspiratio cum partibus genitalibus intercedit? Nonne potius stimuli venerei in partibus genitalibus vigent? Quare languentibus & cessantibus stimulis in organo generationi dica-

tis langvet venus, & iis vigentibus viget venus, quomodo-
docunque demum umbilicus fuerit comparatus.

§. XV. Partes genitales utriusque sexus cum re-
gione perinaei ante consideranda veniunt, quam ad ar-
tus progrediamur. Nimirum regio perinaei in sexu
potiori ab ano ad scrotum, & in sequiori ab eodem ad
pudendorum partem infimam protenditur, atque linea
quadam, quam futuram nuncupant, in duo latera diri-
mitur. Partes vero genitales sunt in sexu potiori ima
abdominis parti appensa, in sexu autem sequiori in eo-
dem veluti abscondita. Illa penem & scrotum com-
prehendunt. Siquidem bursa illa membranacea, me-
diante sutura externe conspicua ac subiecto septo in-
duas distinctas cavitates divisa, & testiculos spermatis
elaborationi dicatos obducens, scrotum audit. Fissula
autem oblonga penis nomine insignitur, atque urinae &
spermatis excretioni inserviens parte postica, quae radix
dicitur, vicinis partibus firmiter est adnata, reliqua libe-
re propendente. Ceterum cutis, quae circa anteriorem
membri partem volvi & revolvi se patitur, praeputium
audit, quo reclinato glans cum frenulo in conspectum
prodit. Illa anteriorem hasta partem constituens fo-
ramine oblongo est pertusa, quod est non nisi orifici-
um excretorium urethrae per infimam & mediam par-
tem excurrentis. Membrana autem illa, quae inferior-
em glandis partem praeputium alligat, frenulum dicitur,
reliqua tandem pars membri & imprimis superior dorsi
nomine insignitur. Equidem in sexu sequiori exterius
rima saltem magna conspectui patet, ea tamen nonni-
hil diducta citra dissectionem ullam vagina uterina,
nymphae, clitoris, orificium meatus urinarii & hymen-
in oculos incidunt. Rima magna, vulvae nomine veni-
ens, a pube ad perinaeam usque excurrit, atque ampli-
tudine

dine vaginam ipsam haud parum superat, tamen in virginibus pars ejus inferior nonnihil sit angustior propter ligamentosam ejus texturam, quam frenulum nuncupant Anatomici, quod frequenti congressu & partu paulatim penitus aboletur. Duæ itaque in utroque sexu sunt partes, quibus ad Anatomicorum mentem frenulum competit, nempe lingua & partes genitales, quo eadem eo magis indigere videntur, quo licentius & non sine dedecore & Reipublicæ damno iisdem abuti homines observemus. Partes vero hujus rimæ laterales labia audiunt, quibus distractis clitoris, alias mentula, vel penis muliebris dicta, comparet, cujus nomine venit particula ex superiore pudendorum parte nymphas inter probuterans, ex substantia fungosa contexta, atque anteriori membrana complicata tecta, quæ alias præputium dicitur. Ab ejus lateribus consimilis substantiæ corpora oblonga ad mediam circiter labiorum partem interne excurrunt, quæ nymphæ seu alæ audiunt, atque cum clitoride non modo exquisito sensu pollent, sed & æstri venerei tempore membri virilis ad instar eriguntur. Vagina uteri, sanguini menstruo & foetui excludendo recipiendoque membro virili dicata, insignioris amplitudinis canalem ad uterum usque protensum efformat, in cujus parte antica & superiore non procul a clitoride orificium urethræ excretorium conspicitur. Penes illud in virginibus membrana annularis, e parte finis muliebris anteriore circulariter protuberans, ac media sui parte foramine pertusa, in oculos incidit, quam hymenem, merito ad virginitatis signa referendum, Anatomia Procera nuncupant. Equidem ratione magnitudinis magnum in partibus utriusque sexus genitalibus discrimen observari nemo non nescit, tamen an certi

C 2 quid

quid de iisdem judicari possit ad ductum vulgaris verficuli:

• uong Ad formam naris noscetur mentula maris;

• usq; Ad formamque oris noscetur res muliebris.

merito dubitatur. Namque partium genitalium amplitudo, vel latitudo non tam ab oris conformitate dependet, quam potius a provida puellarum educatione, atque frequenti concubitu partuque. Quemadmodum enim omnium puellarum sinus muliebris, nisi eadem vis fuerit illata, tanta gaudet angustia, ut primus concubitus ipsis sit dolorificus ac cruentus, ita frequentiori concubitu partuque paulatim vagina uteri omnem amittit angustiam, atque non obstante insigni, qua ornata est mulier, oris angustia, partes illæ tandem ita ampliantur, ut nullatenus cum oris angustia convenire soleant. Neque vero ratio patet, cur hasta virilis necessario narium magnitudini respondere debeat. Equidem, si nares cum reliquis corporis organis externis ratione magnitudinis proportionem quandam habent, non male dijudicatur, membrum ab hac symmetria haud facile deflectere. Cur autem vir parvæ staturæ & organis externis gracilioribus, at naso non minimæ molis ornatus vel deturpatus, mentula narium proportioni respondente instructus esse debeat, neque ratio patet, neque experientia aliquid ponderis addit. Et quid quæso dicendum de iis, qui exilioribus, aut mediocri magnitudinis naribus donati non minimæ molis membrum spectandum exhibent. Multo minus iis assentiri possumus, qui ingenium stupidum imo asininum ex permagno membro conjicere haud verentur: quippe a quo mens certe non dependet, neque facultates ejus illius ministerio, sed longe aliis adminiculis ac organis excoluntur, ut nihil dicam de illis, acri judicio pollentibus,

qui naturam in construendo hoc membro ceu novercam neutiquam experti fuere.

§. XVI. Tandem ad artus ut progrediamur, ordinis jubet ratio. Et quidem quod ad manus speciatim attinet, eas humero, cubito & manu proprie sic dicta constare, in vulgus est notum. Siquidem superior manuum pars, a scapula ad cubiti flexuram protensa simplicique osse constans, humerus, seu brachium, media, a prædicta flexura ad carpi articulum exprorecta & ex duplici osse, cubito nempe & radio, constructa, cubitus, & extrema, a præmemorato carpi articulo ad digitorum apices excurrens, manus proprie sic dicta appellatur. Hæc ipsa autem in carpum, metacarpum & digitos subdividitur. Quippe carpus partem superiorem, octo ossibus constantem, & metacarpus partem mediam, e quatuor ossibus oblongis constructam, componit, cui sunt digiti adnati, tribus articulis distincti, & in pollicem, indicem, medium, annularem, & auricularem divisi, quorum extremis apicibus cornea substantia est instrata, unguium nomine insignita. Ceterum interna manuum pars vola, externa dorsum appellatur. Nolo in præsentibus mirabiles manuum motiones, a quibus tot tantaque ac stupenda propemodum effecta dependent, prolixè explicare, vel Chiromantiæ earundem contemplationi iusto scrupulosius inhærere. Uti namque illæ notæ factis sunt atque perspectæ; ita Chiromantiæ cognitione, facile supersedere possumus. Licet enim Medici ex unguium discoloratione pulsusque varietate non inanibus conjecturis secundam æque ac adversam corporis valetudinem conjiciant, tamen ad partium vitalium, naturalium aliarumque dispositionem, ut & ad temperamenta & ab iis pendentia animi pathemata cognoscenda non opus habent, ut ad Chiromantiæ ductum quosvis

monticulos, & quasvis lineas volæ impressas contem-
 plentur, cum certe iis tutiora non desint signa. Caveant
 vero sibi, qui temerario ausu ex sola linearum monticu-
 lorumque constitutione futura prædicere, quique rela-
 tionibus ejuscemodi cæcam fidem adhibere haud verentur,
 ne mala prædicta ad puniendam superstitionem in
 utrosque redundant. Exoptandum certe foret, Chiro-
 manti denatorum manus attente ut perlustrarent, sic
 enim vanitatem hujus scientiæ facile perspicerent, ani-
 madvertentes, mortui infantis lineam vitalem frustra
 longævam vitam indicasse, inque summa paupertate mor-
 tuum divitias saltem in manuum lineis gessisse. Alia ut
 nunc brevitatis ergo silentio præteream.

§. XVII. Denique pedes in tres pariter partes, fe-
 mur puta, tibiā & pedem proprie sic dictum dissecun-
 tur. Femur quippe, seu crus partem superiorem, sim-
 plici ossē constantem & ab acetabulo ossium innomina-
 torum ad tibiæ articulum protensam, tibiā vero medi-
 am, ex duplici ossē constructam, & a prædicto articulo
 ad pedis extremi flexuram exporrectam, efformat. Pars
 vero superioris articuli anterior genu, & os ei instratum
 patella, posterior poples, carnosa massa, parti tibiæ po-
 sticæ adnata, sura, processus acutus secundum longitu-
 dinem tibiæ antè excurrens spina, & denique tibiæ
 fibulæque processus, inferiorem pedem haud parum fir-
 mant, malleoli, in externum & internum divisi, audi-
 unt. Pes tandem extremus in tarsum, metatarsum &
 digitos subdividitur. Ille superiorem pedum partem,
 septem ossibus constantem, hic mediam, e quinque ossi-
 bus oblongis constructam componit, atque digiti ratio-
 ne numeri & ungvium cum manuum digitis conveni-
 unt, saltem quod ab iis magnitudine & agilitate diffe-
 rant, primusque eorum solum proprio pollicis nomine
 insi-

23
C O N T R I O T U M M A N T L A T E R N I S
gnatur. Ceterum pars pedis extremi superior dorsum, postica calx, & inferior concavum pedis, seu planta vocatur. Quemadmodum vero pedes bene formati non minimam formositatem toti conciliant corpori, ita ex varia eorum gracilitate & crassitie signa quidem, varium corporis robur indicantia, depromere possumus, tamen nec has regulas perpetuæ esse veritatis, imprimis docent, qui gracilioribus pedibus instructi frequentiori exercitio musculis tantum conciliant robur, ut eodem facile carnosiores, vitam tranquillam & otiosam degeneres, antecellant. Ut hinc vel sponte imotescat, quid de Physiognomorum regulis sit sentiendum, qui suras & tibias pilosas gerentes pro luxuriosis & moribus dissolutis habent, quique ex unguibus subtilibus & bene coloratis nativitatem nobilem & illustrem conjiciunt, quasi depilibus cruribus instructorum non dentur quam plurimi, qui vel pilosos dissoluto vitæ genere superent, aut rusticorum recens natorum ungues haud sint subtiles ac bene colorati. Quod si vero iidem duriori vitæ genere crassescunt, nitoremque suum perdunt, id quod & iis accidit, qui ab illustribus parentibus nati sunt, certe eorum constitutionem non nativitati, sed aliis longè causis deberi, nemo non videt. Alia male coherentia Physiognomorum effata, ut nunc brevitatè ergo omit-
tamus.

§. XVIII. Recensitæ hæcenus externæ corporis partes velamine membranaceo obducuntur quod cutis appellatur. Hæc ipsa universum corpus externe ambiens variæ est crassitie. Quippe in capite & plantis pedum crassissima, in digitorum manuum apicibus admodum tenuis, in ceteris partibus diversæ quidem, at mediocris crassitie animadvertitur. Interim ea, in
cuti-

cuticulam, membranam reticularem & crassiorem pellem, seu cutem proprie sic dictam divisa, papillas nervaceas, glandulasque miliares comprehendit, quarum ministerio partim tactui, partim insensibili transpirationi ac sudationi infervit.

COROLLARIA.

- I. Perperam nonnulli existimant, hominem tribus partibus essentialibus constare.
- II. Medicus neque theoretica, neque practica Anatomiae cognitione carere potest.
- III. Falsum est, optimos Theoreticos infelices esse Practicos.



ULB Halle

3

007 762 003







Farbkarte #13

B.I.G.

1715, 23. 39

SSERTATIO
DE
RTIBUS
RIS HUMANI
TERNIS,

QUAM
Æ FACULTATIS MEDICÆ
SENSU
PRÆSIDIO

DOMINI
RPI GOTTLIEB
CHERI, P.P.

M EXAMINI SUBJICIET
FREDUS HAHN,
ONIC. SILES.

EMBR. A. MDCC XV.
TORIO MEDICO
IS CONSVETIS.

IPSIÆ,
RISTOPH. FLEISCHERII.

